

illi adjungebantur in ordine ad implendam obligationem. Præterea in particulari de pœnis res est manifesta, ut bene attigit Castro, d. c. ult., l. 4 de Leg. pœn., tum quia leges pœnales, ut tales erant, non erant leges naturales, sed positivæ; omnes autem leges positivæ illius legis cessarunt, ut ostensum est; tum etiam quia leges pœnales, ut sic, non erant morales, sed judiciales; ergo cessarunt; ergo omnes illarum pœnarum comminationes non transcendunt statum illius legis; tum denique quia hac ratione (inter alias) dicitur lex gratiæ lex libertatis, quia non ita movet terrore pœnarum temporalium, sicut lex vetus, et sic dicit Paul. 2 Corinth. 5: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*; ergo lex gratiæ etiam liberavit nos a reatu et comminatione legis, etiam ut moralis; ergo cessarunt illæ comminationes. Quomodo exponit sæpe Augustin. illud: *Justo non est lex posita*, 1 Timoth. 1, ut late supra lib. 1 tractavimus. De promissionibus autem temporalibus illius legis doctrina est communis, cessasse in lege nova, ut constat ex Augustino, lib. 10 contra Faust., cap. 2, ubi ait *promissa carnalia non manere, et ab illis vocari vetus Testamentum*, et hac ratione in Epistola 120 dicit promissiones illas pertinuisse ad hominem veterem, non ad novum. Item significat lib. 16 de Civit., cap. 11, et aliis locis.

31. *Objectio contra dicta. — Responsio. —* Solum objici potest, quia promissio illa addita quarto præcepto Decalogi: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram*, Exod. 20, illa (inquam) temporalis fuit, et tamen etiam in novo Testamento durat, ut sentit D. Thom., 2, 2, quæst. 102, a. 4, ad 4, ex Paulo, qui videtur id expresse asserere 1 Timot. 4, dicens: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ*; et ad Ephes. 6: *Honora (inquit) patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram*. Respondeo promissionem illam, ut habetur in Exodo, fuisse plane temporalem, nam erat de terra promissionis; ita enim ibi additur: *Ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*. Ubi adstringitur et limitatur promissio ad terram promissionis, neque extra illam poterat ad litteram impleri. Quare addo promissionem illam ut mere temporalem nunc cessasse, durare autem quatenus in illa promissione figurabatur æternitas in terra viventium, ut de aliis promissionibus temporalibus dicit Augustinus in dicta Epist. 120, et sæpe

alibi. Atque hoc significavit Paulus in utroque loco: nam ad Ephesios aliquid addidit promissioni, dicens prius: *Ut bene sit tibi*; et aliquid etiam abstulit, dicens absolute, *Et si longævus super terram*, non addendo determinationem, *quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*; ubi Cajetanus advertit duplex bonum promitti a Paulo. Primum est, *ipsum bonum*, quod ego intelligo præcipue de bono simpliciter, quod est bonum virtutis et sanetitatis. Secundum est, *diuturnitas in bono habito*, quæ in hac vita confertur per perseverantiam in vita gratiæ, et in futura per gloriam ipsam. Ad Timothæum vero utramque vitam conjunxit, præsentem et futuram, quod aliqui cum partitione accommoda interpretantur, scilicet, habens promissionem vitæ, quæ nunc est pro Testamento veteri, et futuræ pro novo: nam hoc significavit Salmeron, disput. 15, super ad Ephes. 6, dicens priorem partem illius promissionis esse ex Moyse, posteriorem vero ex Christo. Vel certe addidit futuram vitam post præsentem, ut significaret nunc non promitti longævitatē vitæ præsentis, nisi quatenus necessaria vel utilis esse potest ad futuram, vel ad majorem perfectionem ejus, sub qua ratione promissio illa spiritualis est, et ita tandem illam explicuit divus Thomas, citato loco.

CAPUT XII.

AN LEX VETUS QUOAD OBLIGATIONEM MORTUA FUERIT SEU CESSAVERIT ANTE CHRISTI DOMINI MORTEM.

1. *De tempore quo lex illa mortua. — Non fuit mortua ante Christi adventum. — Triplex tempus in dubium vocatur. —* Hactenus solum ostendimus nunc esse mortuam legem veterem, nondum tamen declaratum est quando primum abrogata fuit desiitque: nam, licet ex probationibus adductis, satis etiam constet multis retro temporibus et a principio nascentis Ecclesiæ Christi legem veterem mortuam fuisse, nondum tamen explicatum est in quo puncto, ac momento, vel tempore expiravit. Supponimus vero ante Christi adventum in carne non fuisse mortuam, quia data fuit *donec veniret semen*: de tribus ergo temporibus restat dubitatio, scilicet de tempore vitæ Christi Domini ante mortem ejus, de instanti mortis ejus, et de aliquo tempore post mortem ejus; ideoque de singulis dicendum est. Habet autem locum hæc questio solum respectu Judæo-

rum, quibus lex illa data erat: nam respectu Gentilium, quibus nunquam fuit imposita, non oportet designare initium temporis in quo illos non obligavit, quia nunquam eos obligavit, nec ante incarnationem Christi, neque post illam ante mortem ejus, neque etiam in morte, vel post mortem ipsius, ut supra probatum est; et ideo diximus respectu Gentilium non fuisse illam legem mortuam, sed potius nunquam fuisse vivam, ut sic dicam, quia, ex quo lata fuit, illos non obligavit. Tota ergo quæstio circa obligationem Judæorum versatur.

2. *Sententia affirmans circumcisionem cessasse ante mortem Christi. — Fundamentum. —* His ergo positis, circa primum tempus est peculiaris opinio aliquorum scholasticorum cessasse circumcisionis præceptum ante mortem Christi, nimirum, quamprimum Baptismus institutus est, et efficaciam cœpit habere conferendi gratiam. Ita tenet Scotus in 4, dist. 3, quæst. 4, § *Quantum ergo*. Sequitur Gabr., dist. 1, quæst. 4, art. 3. Fundamentum est, quia ex quo Baptismus cœpit esse utilis ad justitiam, cœpit esse sub consilio; ergo ex tunc cœpit circumcisio non esse sub præcepto; Baptismus autem utilitatem habuit ante mortem Christi paulo post initium Baptismi Joannis, ut nunc supponimus; ergo. Prima consequentia patet, tum quia consilium rei perfectioris et utilioris tollit præceptum inferioris rei, et minus perfectæ; tum etiam quia cum circumcisio jam non esset necessaria ad remissionem peccati originalis, non erat cur sub necessitate præcepti post Baptismi utilitatem relinqueretur. Ex qua opinione sequitur totam illam legem cessasse quoad obligationem, respectu omnium puerorum qui post Baptismi institutionem ex Hebræis nascebantur. Quia lex illa non obligabat nisi circumcisos, ideoque circumcisio erat illius legis professio; ergo qui non tenebantur ad circumcisionem, nec ad totam legem obligabantur, simpliciter loquendo. Hæc tamen cessatio totius legis ex vi hujus illationis non habet locum in parentibus, seu hominibus illius populi qui jam erant adulti et circumcisi tempore institutionis Baptismi; imo nec in parvulis potuit ad praxim reduci. Ratio prioris partis est, quia homines jam circumcisi poterant quidem liberari a præcepto (ut ita dicam) activo circumcisionis, id est, ab obligatione circumcidendi suos filios; non poterant autem eximi ab obligatione passiva, id est, recipiendi circumcisionem, quia jam erant circumcisi, et legem totam professi

fuerant, et ideo non liberabantur a toto onere legis ex vi cessationis præcepti circumcisionis, prout ad illos pertinebat. Alterius vero partis ratio est, quia infantes nati in illo populo post institutionem Baptismi non poterant pervenire ad usum rationis ante mortem Christi, et ideo non poterant proprie eximi ab onere legis per carentiam circumcisionis, quia nondum erant capaces obligationis ejus.

3. *Probatur prædicta sententia. —* Aliunde vero probari potest universaliter totam illam legem, quoad obligationem, cessasse ante Christi mortem, primo ex illo Luc. 18: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*: ergo saltem in baptisate Joannis lex mortua est; secundo, quia quoad aliqua saltem præcepta videtur antea extincta, quia multa mysteria Christi successu vitæ ejus impleta fuerunt ante mortem, quæ tamen per plures cæremonias legis figurabantur ut futura: ergo præcepta de talibus cæremoniis ante mortem Christi cessarunt; alias vigerent præcepta de signis falsis exhibendis, quod repugnat.

4. *Lex vetus usque ad instans mortis Christi obligabat. — Probatur primo. —* Nihilominus dicendum est ante Christi mortem legem veterem non fuisse mortuam quoad obligationem, ac subinde usque ad instans mortis Christi ad minimum obligasse. Est communis sententia theologorum, D. Thom. 1, 2, q. 103, art. 3, ad 2; Bonavent. in 4, dist. 3, 2 part. ejus art. 2, quæst. 2; Major., quæst. 2; Rich., dist. 1, art. 6, quæst. 4; Capr., quæst. 3, a. 3, ad 1, contra 1 concl.; Palud., quæst. 6, a. 3; Durand., quæst. 9, et aliorum quos infra referemus; et in hoc videntur convenire Hieronym., Augustin., Richard. de S. Victor, Bern., et alii qui materiam hanc disputarunt. Potestque ostendi primo, ex Evangelio, ubi sæpe legimus Christum servasse legem, tam in infantia quam in discursu vitæ usque ad mortem; paulo enim ante illam manducavit Pascha; et ita semper consuevisse facere ostendunt verba discipulorum, dicentium: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Matth. 26. Quamvis enim ipse non subiceretur legi, tamen quia lex ipsa vigeat, et mysteria ejus non erant completa, tum propter exemplum, tum propter mysterium, illam servare voluit, juxta id quod dixit Matth. 5: *Non veni solvere legem, sed adimplere*. Et ob eandem rationem illos docebat illam servare, Matth. 23: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisæi, etc.; quæcumque dixerint vobis, facite*; quia nimirum durabat legis virtus et potestas sa-

cerdotum. Sic etiam, Luc. 17, misit leprosos, dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*; et c. 5, cum mundasset leprosum, eum similiter misit ut ostenderet se sacerdoti, et addidit: *Et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses*.

5. *Secundo, probatur conclusio.*—Secundo, probatur clare assertio ex capit. 9 ad Hebr., ubi prius dicitur: *In secundo* (id est, in Sancta Sanctorum) *semel in anno solus Pontifex* (scilicet ingrediebatur) *non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia: hoc significante Spiritu Sancto nondum esse propalatam Sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum.* Unde e converso colligo, quamdiu non fuit propalata Sanctorum via adhuc prius tabernaculum habuisse statum: quamdiu autem tabernaculum illud suum statum habuit, etiam sacerdotium in suo statu duravit, et sacrificia ac cæremoniæ servabantur usque ad tempus correctionis impositæ, ut ibidem dicitur, utique per legem; ergo etiam tota lex duravit quamdiu tabernaculum et sacerdotium suum statum habuit: nam hæc se comitantur, juxta illud cap. 7: *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*; nam etiam e converso verum est, translata lege, sacerdotium transferri, quia per legem stabilitur: ergo ante propalatam Sanctorum viam lex non fuit abrogata: Sanctorum autem via non est propalata ante Christi mortem, in cujus signum, Christo expirante, velum templi scissum est, ut Patres exponunt, et alibi diximus: ergo, saltem usque ad instans mortis Christi, non fuit mortua lex vetus.

6. Unde subjungit Paulus, eodem loco, novum Testamentum in morte Christi fuisse confirmatum, quod declarat vim faciendo in metaphora testamenti, dicens: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est testatoris intercedat: testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Sicut ergo novum Testamentum non fuit confirmatum nec validum usque ad mortem Christi, ita nec primum fuit sublatum, quia, ut dixerat c. 8: *Dicendo novum veteravit prius*; et c. 10 subdit: *Aufert primum, ut secundum statuatur*; et in eodem c., docet non cessasse sacrificia vetera, donec Christus una oblatione consummavit sanctificatos. Quod significatum etiam est, quando Christus Dominus in Cruce dixit: *Consummatum est*, ut interpretatur D. Thomas, quæst. 103, art. 8, ad 2, et 3 part., quæst. 47, art. 2, ad 1; intelligendum est autem vel in sensu mystico, vel con-

secutione quadam; significando enim passionem suam esse consummatam et redemptionem nostram fuisse impletam, consequenter significavit legem veterem fuisse impletam; ergo ante illud tempus non fuit soluta, quia solvi non debuit prius quam esset plene impleta: ratio autem conclusionis patebit ex sequenti.

7. *Omnia præcepta legis veteris usque ad Christi mortem durarunt.*—Dico secundo: omnia præcepta veteris legis, sine ulla exceptione, ac subinde præceptum circumcisionis, usque ad Christi mortem durarunt, et obligarunt sine mutatione vel abrogatione. Hæc assertio est contra Scot.; generaliter autem ponitur de omnibus præceptis illius legis, tum quia eadem est ratio de singulis, quæ est de ipso corpore legis; tum quia testimonia adducta absolute loquuntur, et non licet nobis excipere sine fundamento; tum denique quia si in aliquo liceret exceptio, maxime in circumcisione, quia ejus præceptum non fuit ex lege, sed ante legem, licet cum lege et in lege duraverit; sed præceptum circumcisionis non fuit ablatum ante Christi mortem; ergo. Probatur minor, primo ex communi sententia theologorum quos retuli, qui etiam loquuntur de circumcisione, et præsertim D. Thomas in 4, distinct. 3, a. 5, quæstiunc. 3; Soto, libr. 2 de Justit., quæst. 5, art. 4; et bene Major, dict. quæst. 2, ubi allegat Glossam in Joan. 3, et ad Hebr. 10. Secundo, probatur, quia præceptum circumcisionis vel fuit ablatum ante mortem, per expressam revocationem, et hoc non, quia nullibi invenitur, nec de illo nec de tota lege; vel per cessationem puram, et hoc etiam dici non potest, quia lex circumcisionis tam absolute lata est, sicut alia præcepta legis, et non est aliquis terminus durationis designatus pro præcepto circumcisionis distinctus a termino totius legis, et prior illo. Ubi etiam talis termini fit mentio? Et ideo ad hanc cessationem seu abrogationem impertinens est, quod præceptum circumcisionis ante legem datum sit, quia datum est cum eodem genere æternitatis, ut sic dicam, seu longævæ durationis; item datum est ut inchoatio legis, et ut permansurum cum illa, et incorporandum illi, et ideo ut duraturum usque ad eundem terminum totius legis.

8. *Probatur conclusio.*—Vel abrogatum fuit illud præceptum per aliud illi repugnans vel illud excludens, et hoc etiam est falsum; quia maxime per præceptum Baptismi; illud autem non fuit impositum hominibus ante

Christi mortem, ut nunc supponimus: ergo. Dices fuisse datum consilium. Respondeo: esto ita sit, poterat illud consilium acceptari, et executioni mandari, servato simul circumcisionis præcepto. Sicut enim Judæus circumciscus poterat ante Christi mortem baptizari ex consilio, non obstante circumcisione prius recepta, ita poterat simul circumcidere et baptizare filium suum, ac subinde implere præceptum et uti consilio. Quando autem consilium et præceptum talia sunt, ut simul servari possint, consilium non tollit præceptum, sed tunc solum quando utrumque simul exequi repugnat, ut contingit in consilio castitatis et matrimonio; nam si castitas est in consilio, recte colligimus matrimonium pro tunc non esse in præcepto: secus vero est in præsentem. Imo si quis recte consideret, etiam tunc consilium non derogat præcepto, sed supponit non esse tunc tale præceptum, et ideo habet locum consilium; nam si supponatur casus in quo præceptum obligat, nunquam poterit per consilium auferri, quia non potest tale consilium habere locum, nisi prius supponatur materia cum talibus circumstantiis, cum quibus præceptum non obligat.

9. *Prosequitur idem discursus.*—Vel denique cessasset præceptum circumcisionis quasi ex defectu materiæ, quia jam cessabat necessitas illius remedii, baptizando parvulum. Et hoc etiam stare non potest; tum quia præceptum circumcisionis non fundabatur in hac necessitate; unde Joannes Baptista, sanctificatus in utero, ex præcepto est circumciscus, et infans qui, propter periculum mortis, remedio legis naturæ sanctificari poterat ante octavam diem, nihilominus postea convalescens circumcidendus erat ex necessitate præcepti. Quia licet non indigeret illa ut remedio peccati originalis, nihilominus necessaria erat ut professio illius legis. Etenim circumcisio data etiam est (et fortasse primario) ad consignandum populum Dei, et professores legis ejus, et hic finis semper habuit locum, quamdiu synagoga et lex Moysi duravit. Item Judæus tenebatur suum filium primogenitum, verbi gratia, in templo præsentare, et circa illum reliquias legis Moysi cæremonias exercere, quarum capax non erat nisi circumciscus; ergo necessaria erat tunc circumcisio illius parvuli tanquam janua illius legis, et veluti capacitas ad sacramenta ejus et sacrificia: ergo hæc erat sufficiens ratio et necessitas durationis talis præcepti.

10. *Objectio.*—*Respondetur primo.*—*Solu-*

tum manet Scoti fundamentum.—Dicit aliquis: si ante Christi mortem Gentilis in Christum credens filium suum infantem baptizasset, non teneretur postea applicare illi sacramentum legis naturæ: ergo neque Judæus fidelis obligabatur in simili casu applicare sacramentum legis Moysi. Respondetur negando consequentiam, quia in lege naturæ non erat determinatio facta alicujus sacramenti, nec peculiare præceptum positum, præter illud generale subveniendi filiis per aliquod remedium sufficiens, quale erat fidei applicatio, quocumque signo fieret, et ideo per Baptismum hæc obligatio sufficienter implebatur. Imo jam non manebat parvulus capax novi sacramenti legis naturæ, quia, eo ipso quod non erat primum, nullum erat. Secus vero est de circumcisione, quæ in particulari erat præcepta, non solum in remedium, sed etiam in signum, ut dixi, et dari poterat non obstante priori sacramento, ut exemplis jam declaratum est. Atque ex hoc discursu solum manet fundamentum Scoti. Idemque discursus facile applicari potest ad totam legem et ad primam assertionem confirmandam; quia etiam illa tota non est expresse revocata ante mortem Christi; nec terminus, illi appositus, fuit antea consummatus; nam cum dicitur: *Donec veniret semen*, intelligi debet de Christo consummato in ratione redemptoris, ut sic dicam; neque etiam tunc nova lex lata fuerat quæ aliam excluderet.

11. *Ad reliquias objectiones.*—Unde facile respondetur ad duas objectiones ultimas generales, quarum prior sumebatur ex verbis Christi Luc. 16: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, circa quæ considerandum est legem veterem simul fuisse legem obligantem, et prophetiam futurorum, et pactum continens promissiones temporales, et magistram morum. Ibi ergo non tractat Christus de lege ut lex est obligans, sed sub aliis rationibus, et præsertim ut docebat minus perfecta, et promittebat temporalia bona. Nam quia Pharisæi Christum irridebant eo quod doceret contemptum divitiarum, et reprehenderet nimium affectum luerandi temporales divitias, quia in hoc videbatur a lege discordare promittente temporalia, ideo dixit, illam doctrinam legis et Prophetarum fuisse accommodatam prioribus temporibus usque ad Joannem: *Ex eo vero* (ait) *regnum Dei evangelizatur*, etc. Ita fere Theophyl. ibi, quem sequitur Jansen. cap. 95 Concord.; et consonat Matth. cap. 11, qui clarius dixit: *Omnes Prophetæ et*

lex usque ad Joannem prophetaverunt. Nam sub verbo *prophetaverunt*, tam prædictiones futurorum quam promissiones, et tota instructio legis intelligi possunt, et omnia ad intentionem Christi sunt accommodata. Quia sensus præcipuus est totam doctrinam legis et Prophetarum ad tempus Messiae fuisse ordinatam, et in illo suum complementum recepisse, et hoc a prædicatione Joannis maxime sumpsisse initium. Licet in loco Matthæi magis videatur Christus Dominus loqui de lege et Prophetis, ut prædicentibus futura, ut ibi Hieronymus et Chrysostomus exponunt, vel ut tradentibus moralem doctrinam infirmo statui accommodatam, ut etiam videntur sentire Theophyl., Matth. 11, et Jansen., cap. 47 Concord. Uterius vero addere possumus, etiamsi verba illa de lege ut præcipiente intelligerentur, ex illis non colligi legem illam fuisse mortuam a tempore Joannis; sed, quia ægrotare tunc cœpit, non multo post mortem Christi moritura, ideo usque ad Joannem fuisse dicitur, ut dixit Maldonat., Matthæi quinto, vers. decimo-septimo, in fine.

12. *Ad posteriorem objectionem.*—Ad posteriorem objectionem respondetur imprimis, si alicujus esset momenti, non solum probare legem fuisse mortuam, sed etiam mortiferam ante Christi mortem, quia colere Deum falsis signis intrinsece malum est. Unde necessario dicendum est illa non fuisse signa falsa eo tempore, quia vel non sumebantur ut signa talium mysteriorum quæ jam erant impleta, sed secundum alias significationes veras, quæ nunquam deerant; nam circumcisio semper significare potuit spiritualem circumcisionem, vel resurrectionem, ut Cyprianus, epistola quinquagesima-nona, dixit; vel non sumebantur ut significantia mysterium cum habitudine ad tempus futurum, sed secundum se. De qua re plura dicemus capitibus decimo-quarto et decimo-sexto.

CAPUT XIII.

AN LEX VETUS CESSAVERIT, QUOAD OBLIGATIONEM, IN MORTE VEL RESURRECTIONE CHRISTI, VEL ANTE DIEM PENTECOSTES.

1. *Prima sententia affirmans in puncto mortis Christi mortuam fuisse legem veterem.*—Excluso illo primo tempore, dicendum est de secundo, sub quo comprehendimus tum instans mortis Christi, tum reliquum tempus usque ad diem Pentecostes, quia ex resolu-

tione prioris puncti facile de reliquo tempore constabit. In primo ergo multorum sententia est, in puncto mortis Christi fuisse mortuam legem veterem quoad obligationem. Hæc videtur esse opinio D. Thomæ in 4, distinct. 1, quæst. 2, art. 5, quæstiunc. 3, et aliorum auctorum quos retuli in capite præcedenti; et Marsil. in 4, q. 2, art. 1, part. 4; Adrian., quæst. 1, in princip.; tribui etiam solet Augustino et Hieronymo; sed nihil tale docuerunt, ut infra ostendam. Suaderi autem potest primo omnibus testimoniis Pauli quibus præcedentem sententiam confirmavimus; nam sicut probant fuisse vivam legem illam usque ad mortem Christi, ita videntur probare per illam fuisse mortuam; tum quia in eo puncto lex fuit omnino impleta; tum quia sacerdotium tunc translatum est, in cujus signum velum templi scissum est, atque etiam in signum quod tunc fuit maceries diruta, quæ utrumque populum dividebat; illa autem erat lex, ut supra dixi, quæ per velum illud etiam significabatur; tum præterea quia tunc completa est redemptio; una enim oblatione consummavit sanctificatos; tum denique quia figuræ omnes et sacrificia tunc completa sunt; ergo tunc etiam lex fuit extincta.

2. Et confirmatur primo ex 8 et 9 ad Hebr., ubi ex similitudine testamenti probatur Testamentum novum non fuisse confirmatum usque ad mortem Christi; nam eodem exemplo probatur fuisse confirmatum in ipsa morte; ergo tunc etiam est revocatum Testamentum vetus; ergo et lex. Similiter confirmatur secundo ex 7 ad Roman., ubi per similitudinem matrimonii duratio legis declaratur: nam, sicut vivente viro mulier subiecta est legi, ita viro mortuo liberatur a lege ipsius; ergo similiter, ex sententia Pauli, mortuo Christo liberata est synagoga a legis obligatione. Confirmatur tandem, quia ab instanti mortis Christi nunquam licuit spem ponere in caeremoniis vel sacramentis illius legis, ut fatetur Augustin. in Epistol. ad Hieron. infra tractanda, et colligitur ex illo ad Galat. 5: *Qui in lege justificamini, a gratia excidistis*, scilicet, ponendo spem in lege: nam alias non semper fuit malum uti legalibus, ut infra videbimus. Ponere autem spem in illis sacramentis nihil aliud erat quam accipere illa ut necessaria ad salutem, ut sentiunt D. Thomas et alii scholastici in 4, distinct. 1 et 3: ergo nunquam licuit illis uti ut necessariis: ergo signum est cessasse omnino obligationem legis.

3. *Secunda sententia affirmans legem veterem in morte Christi lethale vulnus accepisse, et paulo post mortuam fuisse.*—Nihilominus est secunda sententia asserens, licet verum sit, legem veterem per mortem Christi mortuam fuisse, nihilominus non esse hoc intelligendum ita rigore et mathematice, ut in eodem momento amiserit illa lex vim obligandi; sed moraliter id intelligendum esse, scilicet, paulo post mortem, ita ut per mortem Christi acceperit lex lethale vulnus (ut sic dicam), ratione cujus statim cœpit deficere, et paulo post extincta est. Ita sentiunt in 4, distinct. 3, Bonavent., part. 2, articul. 3, q. 2, in fine; Scot., quæst. 4; Sot., quæst. 7, art. 3, et lib. 2 de Justit., quæst. 5, artic. 4; Gabr., in 4, distinct. 1, quæst. 4; Maldon., Matth. 5, circa verba illa, *Non veni legem solvere*, etc. Et existimo esse sententiam Augustini et Hieronymi; nam Augustinus, Epist. 8 et 87, inter Epistolas Hieronym., hæc habet verba: *Post passionem et resurrectionem Christi, dato ac manifestato Sacramento gratiæ secundum ordinem Melchisedec, adhuc putabant vetera sacramenta non ex consuetudine solemnitate, sed ex necessitate salutis esse celebranda*, ubi Judæi subintelligendi sunt: nam hunc errorem ponit Augustinus inter eos quos Paulus in Judæis reprehendebat. Non ergo intellexit Augustinus statim post passionem legem illam desiisse esse necessariam, quod est esse mortuam quoad obligationem, sed post passionem et resurrectionem; imo addit etiam *manifestationem Sacramenti gratiæ*, tanquam quid distinctum, quod postea explicabimus. Nec ab hac sententia alienus est Hieronymus; nam Epistola octogesima-nona, alias undecima, apud Augustinum, referens sententiam Hieronymi, in illa non dubitat, nec aliter declarat tempus in quo lex illa cœpit esse mortua, sed absolute dicit, post Evangelium Christi; neque invenio locum in quo dixerit post passionem vel resurrectionem. Hanc ergo sententiam veriorum existimo: tribus autem assertionibus illam declarabo.

4. *Prima conclusio.*—Dico primo: lex vetus non fuit mortua quoad obligationem in instanti mortis Christi. Probatur, quia lex vetus non amisit obligationem suam, donec lex nova cœpit obligare; sed lex nova non cœpit obligare ab instanti mortis Christi: ergo nec lex vetus ex tunc amisit obligationem suam. Consequentia per se nota est. Minorem vero suppono nunc: nam in libro sequenti latius est declaranda et probanda. Major au-

tem proposita communiter recepta est. Eamque clare docuit Bernardus in Epistola septuagesima-septima ad Hugon., cujus sententiam in sequentibus latius expendemus. Quam etiam expresse sequitur Hugo de Sancto Victore, libro 2 de Sacrament., part. 6, cap. 3. Multum etiam favet D. Thomas in 4, dist. 3, a. 5, quæstiunc. 3; nam de Baptismo loquens inquit: *Post passionem obligatorius fuit, quando circumcisio mortua fuit, quantum ad omnes ad quos institutio potuit pervenire*. Sentit ergo non antea, nec aliter fuisse omnino mortuam circumcisionem quantum ad obligationem. Et rationem subindicans addit: *Nec præceptum obligat antequam sit divulgatum*. Agit autem de divino præcepto Baptismi, et tacite supponit principium de quo tractamus, videlicet, unius legis obligationem non fuisse exclusam, nisi prout alterius obligatio inducebatur. Quod principium late comprobatur Soto supra, dicens pro certo esse habendum, ex Paulo ad Hebræos 7, dicente: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus*; et statim: *Introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum*, ubi sentit introductionem unius fuisse reprobationem alterius; et cap. 8, ad hoc allegat promissionem Dei per Jeremiam his verbis: *Consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum*. Et infra declarat hoc testamentum dicens: *Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: dando leges meas in mentibus eorum, et in cordibus eorum superscribam eas, etc.*; et in fine capitis concludit: *Dicens autem novum veteravit prius*, sicut etiam e converso dixit in cap. 10: *Aufert primum, ut secundum statuat*: ergo lex vetus per introductionem legis novæ ablata fuit: non ergo prius cessavit obligare lex vetus quam nova inceperit obligare. Quod etiam recte confirmant verba Pauli ad Ephesios, 2: *Legem mandatorum decretis evacuans*: nam, ut supra ostendi, vox *decretis* legem evangelicam significat, et illa seu per illam dicitur CHRISTUS evacuasse legem veterem, utique formaliter, tanquam per formam excludentem aliam: ergo non fuit prior lex evacuata quoad obligationem, donec obligatio novæ introducta est.

5. *Rationibus et congruentiis probatur.*—Unde etiam potest idem principium rationibus seu congruentiis ostendi. Primo, quia non debuit Dei populus privari lege, nisi propter meliorem legem. Secundo, quia nullum est